OB SECVNDVM ET FELICEM EVENTVM CON

JUGII JLLVS^mi HEROIS, FREDERICI 5. Electoralis Palatinatus Principis, D. BAVAR. *Et Sereniſſimæ Heroinæ* ELIZABETHÆ *Filiæ* Invictis^mi Regis magnæ BRITANNIÆ, GALLIÆ & HIBERNIÆ: Carmen προσφωνητικον & ευχαριστικον.

Cum jam pro lachrymis redeant riſus.

Auctore ALEX^ro JVLIO *Edinburgeno* ſuo et conciviũ nomine.

EDINBVRGI,
Excudebat Thomas Finlaſon, Typographus Regię M.
16 Febr. 1614.

Pſalm. 30. verſ. 6.

☞ *Quum momento fuit in ira ſua, vita adeſt benevolentia ejus, veſpere ſi diverſetur fletus, mane adeſt cantus.*

Ibid. verſ. 12.

☞ *Convertiſti planctum meum in choream mihi, ſolviſti cilicium meum, & accinxiſti me lætitia: ut pſallat tibi gloria, ac non conticeſcat.*

Pſalm. 126. verſ. 5.

☞ *Qui ſeminarunt cum lachrymis, cum cantu metant.*

OB SECVNDVM ET FELICEM EVENTVM CONJUGII JLLVSmi HEROIS, FREDERICI 5. Electoralis Palatinatus Principis, D. BAVAR. *Et Sereniſſimæ Heroinæ* ELIZABETHÆ *Filiæ* Invictiſsmi Regis magnæ BRITANNIÆ, GALLIÆ & HIBERNIÆ: Carmen προσφωνητικον & ευχαριστικον,

Cum jam pro lachrymis redeant riſus.

Auctore ALEXTO JVLIO *Edinburgeno* ſuo et conciviũ nomine.

PRimus in orbe DEVS, thalami ſocialia primi
Fœdera qui ſanxit, primos qui junxit amantes
Ingenio ſtudioq; bonos, pietate fideli
Unanimes, tacitum quibus inſpiravit amorem;
Quique ſacro primis hymenęis ore favebat,
Suaſit & humano generi ſit cultus habendo,
Sit quoq; multiplicem generandi gloria prolem;
Quique ſuum monet ut colat officioſa maritum
Chara viro conjunx, quo deſultoria certis
Legibus eſt aſtricta Venus monitore verendo,
Copula ut alternum ſanctè tueatur amorem;
Qui pia longęvis non raró in vota vocatus
Supplicibus, ſterili dederat ſoboleſcere ſpondæ,
Exhilarans lætos generoſa prole parentes;
Ille Deus noſtræ ſeriem diſponere vitæ

Cui placuit, ſine fine bonus, ſine fonte perennis
Fonſque boni, plenuſque ſui, qui cuncta, priuſquam
Terra foret, cœpitque poli ſplendeſcere lumen,
Solus erat, cunctos ſtatuens quæ fata manerent,
Cuique ſuam tribuens vario pro munere ſortem;
Ille piis nunquam renuens ſubſcribere votis
Annuat oranti; nec caſſa in vota vocantis
Auxilium ardenti ſtudio placabilis adſit,
Corda mouens, blandaque impellens numinis aura,
Qua ſine diffluerent noſtri ſine fruge labores.
Ergo tibi ſacros colimus ſi ſemper honores
Debita progenies cœlo, natique cruore
Lota tibi, fons immenſæ bonitatis, & author
Tum thalami genialis, tum ſocialis amoris,
Connubiis orbi pacem fœlicibus ortam,
Fœderaque innumeris potiora tuere triumphis,
Et ſibi perpetuo conſtent ſine nube tenore:
Ut varię linguis gentes & moribus unum
In populum coëant ſtudiis animiſque reuinctæ;
Lætitia ingenti perfuſus ut undique *Danus*
Exultet, genitos diuerſis partibus orbis
His thalamis coïiſſe viros, & fœdere junctos
Tum ſibi, tum ſociis affinibus eſſe *Britannos*,
Communique frui Domino, communibus aris,
Et ritus ſeruare pios, moremque ſacrorum
Unius eſſe boni, unius ſocioſque pericli.
Deſtituant cunctas per te cum prelia gentes,
Exulet hinc ſciſſa gaudens Diſcordia palla,
Exulet horrendo *Bellona* armata flagello,
Et quę Gorgoneis *Alecto* infecta venenis
Compoſitam rumpat pacem, fera crimina belli
Conſerat, & ſtygia permiſcea omnia flamma;

Exul-

Exulet hoſtis atrox fœdi ſuccenſor amoris,
Exulet á mundoque *Venus* furtiva cubili;
Eumenides ſq. & avis deſerti culmine tecti
Quæ reſidens cæcas canit importuna per umbras,
Sint procul a caſto cuſtos cui Gratia lecto:
Hæc *Charites* variis florentia limina ſertis,
Hæc colat alma *Venus* cœlo delapſa, parentum
In gremiis artus animis cœleſtibus aptans,
Quas capiant tanquam myrothecia balſama, dulces
Quæ procul exhalant ubi diffunduntur odores,
Hic reſonent cantus animi ſolatia læti
Argumenta, Lyris & Nablia miſta canoris
Splendida regali exhilarent convivia luxu.
His fora ſic cupiant, dicant bene compita tædis,
Templa auguſta precum grato ſic thure vaporent
Cum generi accedat divina modeſtia, formæ
Fortuna, ingenio mores in utroque probandi,
Claraque magnanimæ conſtent inſignia gentis,
Quæ data cœleſtem ſignant ingentia dextram:
Hunc dominus rerum per ſecula multa tenorem
Perpetuum ſervet lętis ſucceſſibus auctum.
Si quando inſidias hoſtis molitur, inermes
Ut petat, incautoſque ferox illudere tentet,
Qui quot erunt ſcelerum facies tot retia pandet,
Tot laqueos, quibus involvat male provida corda,
Cùm dubios recto greſſus abducere calle,
Faſque nefaſque volet verſum; quò numine læſo
Præcipites crimen ſolio deturbet ab alto;
Illius interea male cautas cautior artes
Artibus illudas cæcum ſcelus omne retexens,
Irritaque abrumpens ſolo tentamina nutu,
Summa boni, verique omnis fons, lucis origo:

Principe principibus firmentur numine mentes,
Fulgeat internæ his inito certamine pugnæ
Aura potens, cœli & telluris amabile vinclum,
Qua duce tartareos valeant evadere caſſes.
Hinc *Phlegetonteis* exorta incendia flammis
Irarum, jeiuni odii, & damnoſa voluptas
Immenſęque gulæ, Veneriſque & avara cupido
Ponderis argentique æriſque ingentis & auri,
Præcipites quę ſæpe trahunt in noxia mentes
Crimina, peſſum abeant, penituſq; extincta faceſſant,
Ne glomerent rapidas rupta ceu nube procellas.
Si dolet his thalami livor ſucceſſibus, orſis
Si dolet egregiis, ſi pectora felle virebunt,
Et ſtygium tetro ſævus vomet ore venenum,
Si volet afflatu fœdo populoſque domoſque
Polluere, hamatis præcordia ſentibus implens;
Dentibus infrendens medius crepet improbus, imo
Ad lætam repetens ſortem ſuſpiria motu:
Carpantur tacita mœrentia pectora tabe,
ut ſine flamma ignis lentoque tepore crematus;
Sitque ſuum ſibi ſupplicium nil flebile ſpectans,
Ingemat obliquo lugens dum lumine cernit
Vernantes Zephyris multùm fœlicibus, auctos
Cernit honore, opibus cum pace nitere penates,
Florentemque domum numeroſa prole parentum.
Macte thoro comes in ducibus placidiſſime ductor
Germanis, grata vincli jam ſorte jugalis
Princeps, cujus amor permenſum cærula ponti
Æquora, longinquum per iter, *Rhenig.* fluenta,
Perque dolos traxit tenſos, medioſque per hoſtes,
Et tandem optata claſſem ſiſtebat arena,
Magna petens, magnis reſpondent præmia votis:

Nec

Nec *Venus*, aut *Pallas*, nec erat *Saturnia* tanti
Eximiæ inter ſe certantes munere formæ,
Munere quæque ſuo Dea cùm concedat Elisæ.
Sic ſocer aurata teneri trajectus amoris
Cuſpide jam-olim, gelidæ nec frigora brumæ,
Nec dura undoſo latitantia gurgite ſaxa,
Nec loca fœta feris, nec inhoſpita teſqua moratur;
Dum queat optatę amplexu ſatiarier *Annæ*,
Tam faciles tanta fuerant mercede labores,
Herculei quantam nunquam meruere triumphi.
Ergo ut amans ſocerum gener es ſectatus amantem
Sic tibi multorum ſpes invidioſa procorum
(Hunc tibi qui thalamum eriperent tædaſve morentur)
Fulſerat, hanc cupidè per tanta pericla ſecuto;
Gloria magnorum, qua non indignus, avorum.
Excitet in veterum ſic clara exempla parentum;
Excelſique animi nitens ſublimibus alis,
Omnia ſis ſocero ſimilis mentemque manumque
Munificam, recti & juſtæ pietatis honorem,
Et morem potius pacem, quàm bella gerendi:
Cùm tamen ille tubæ clangor cœleſtis ad aures
Martius allapſus tonat, increpitatque morantem
Rumpe moras, ſanctoſque tuo ſub numine tutos
Aſſere, divinæ ſumpto tutamine cauſæ.
Aut vaga ludificant falſum deliria ſenſum,
Eſtque animus vana deluſus imagine ſomni;
Aut Deus eripiens hebetantia nubila paulùm
Corporeo ſolvit pavitantem carcere mentem,
Et trahit in ſummi raptam penetralia cœli;
Ut quibus implerunt vatem pia numina veris,
Ora tuis aveat fatis aperire futuris:
Detur magnificis impunè audacia verbis

Et venia ardenti tribuatur amore videndi
Aurea completo redeuntia tempora circlo,
Cúm nec opina tibi ſeptemvira vota patebunt,
Quæ te *Cæſareo* referent diademate dignum,
Cæſaris ut ſacros tandem tegat infula crines,
Quo te munifici vocat indulgentia cœli:
Hocne ſubire humeris, onus hoc perferre graveris?
Hunc tibi delatum num dedigneris honorem?
Implicitum gravibus curis, & mole laborum.
Audet ut undoſo ſeſe concredere ponto,
Ingenti immiſſas *Argo* qui flectit habenas;
Hinc licet & brevia & ſyrtes & in æquore cautes,
Hinc *Scylle* rabies, hinc implacata *Charybdis*
Obſideat, rapidi facto licet agmine venti
Cuncta ferant ſecum, celeres verrantque ſub auras,
Intonet ut cœlum, ut crebris micet ignibus æther,
Incubet ut ponto nox, horreat unda tenebris,
Inque ratem impenſæ vires pontique polique
Rimoſæ exitium intentent, vectoribus orcum;
Si tamen hanc fundet firma anchora dente tenaci,
Numinis auſpicio juvet ars, & cura magiſtri,
Flamina cùm ponunt, cúm ſternitur æquor in undis
Currit iter tutum tantis defuncta periclis:
Sic licet imperii ſit maxima cura potentis,
Magnę molis opus, res ardua, pene nefaſque
Regnandi pelagus ſalva tentare carina,
Tanta ſalo noſtri minitante pericula ſecli,
Dum fremit hinc vulgus demens, hinc nautea regni
Neſcia frena pati, palponum turba, profanus
Tum Gnatho, tum turpes Epicuri de grege porci
Clam penetrant aulas, & celſa palatia regum,
Auguſtaſque implent blandis ſermonibus aures,

Pro lachrymis redeunt riſus.

Dum mandata ſtudent generoſi pectoris arvo
Semina virtutum furtim ſopire piarum,
Doctrinæ illimem ſanę corrumpere fontem,
Et denſas puræ tenebras offundere luci,
Incautoque nocens animo inſtillare venenum:
Dum conjurati, dum ſeditione potentes
Nec ratione capi, nec jam manſueſcere habena
Rerum ulla didicere, ferant quin arma furentes,
Principis aut ſacræ tendant ſua retia vitæ,
Ut jugulent una totum in cervice popellum:
Hîc animum obfirmans durato audentior, iſtam
Florentemque acuant animoſa pericula mentem,
Quò premitur magis eſt animus conſpectior altus,
Has virtus turbas, hos Experientia motus,
Conſilii ſtructas fraudes prudentia frangat,
Enſe recidendum nudo inſanabile vulnus;
Enſe magiſtratum Deus hunc armavit in vſum:
Hoc premat ut trepido certamina mota tumultu,
Indomitos animos numeroque & viribus acres
A furiis ſcelerum & magnis deterreat auſis,
Pars ſyncera tamen ſancto foveatur amore,
Ut patrem alternis animis atque ore ſalutent,
Teque ducem caſus læti amplectantur in omnes.
Imperii ſint fræna tui Clementia, Verum,
Juſtitia utilibus ſuadens præponere rectum:
Artibus his tibi ſurgat honos, populique patrumq;
His ducibus quærenda ſalus, & dulce parentum
Et patriæ decus, his adeas qua ſidera, fama
Artibus eſt fundenda tuæ, poſt funera, laudis.
At Pietas cognata operum ſtudioſa bonorum,
Sidereo celſam curru ſuper æthera mentem
Inque domos raptans ſuperas, quam ſiſtat in aula

æthe

Ætherea, tandemque æterna luce coronet,
Radices altas agat alto in pectore, multę hæc
Janua virtutis, doctrina nata salubri:
Quam neque *Socraticæ* poterunt ostendere chartę,
Nec labor ingenuas solertum, qui extudit artes,
Nec nova, nec veterum concinna poëmata vatum
Nata Caballinę aut haustu Permessidis undæ;
Hanc mera divinę monstrant oracula vocis,
Pandentem latebras fraudum, larvasque malorum,
Qui stolidos ficta pietatis imagine ludunt:
Puræ rivus aquæ, & lucenti lympha liquore
Inde fluens, tribuit lassatis robora membris,
Et recreat blando languentem fomite mentem:
Ante labella tibi hoc, fauces, pręcordia fonte
Ante lavanda, sitisque ante est hoc fonte levanda,
Quàm tibi deliciæ, ventosa potentia rerum,
Illecebræ instabilis mundi, quam census, honores,
Humanoque fatum sordescat Dogma cerebro;
Ut multùm lætere sacris abstemius undis:
Hinc radii lucis summo splendore micantes,
Discutiunt tenebras mortalia corda prementes
Quam tibi jam prętert vasti lux unica mundi
Inviolata, pedum subito vestigia lapsu
Ne titubent, comiti populo Dux prævius ortum
Utque tuo accendas claro de lumine lumen:
Hæc doctrina pios armis tegit omnibus artus,
Qualia nec *Steropes* charo *Chironis* alumno,
Nec *Veneris* nato *Brontes*, nudusve *Pyracmon*
Membra sub Ætnęis gestamina fecerat antris;
Acer in his miles Christi jam signa secutus,
Ancipitique latus cinctus mucrone, tyrannum
Tartareum illæsus vibrantem spicula lęthi

Sust.

Suſtineas ignita, magis penetrabile telum eſt
Cœleſtis ſtygium vox, quæ tranſverberat hoſtem;
Hac duce ſacrato Domini plantaria fundo
Conſita, ceu gremio fovit nutricius ille,
Qui proavus meruiſſe pii cognomen honorum
Dicitur olim, aula procul & ditione relegans
Auguſta impuro vitiantes Dogmata ritu,
Candorem infracti veri morumque peroſos,
Ut Domus & ſancta Sceptrum pietate niterent:
Hac tibi ptæluxit redemitus tempora lauro,
Archetypum ſtatuens tibi ſeſe inſigne ſequendum,
Quem neque Tartareæ tenebræ, nec inertia furta,
Nec furor hoſtilis, nec aperti machina belli
Terruit, haud raró tollentem lumina cœlo,
Hoc ſibi *Palladium* fatale ut fata reſervent:
Junior hanc coluit ſanctam ſeniorque Camænam,
Non Tyrii ſplendor cultus, non ſella curulis,
Non trabea imperii præclara inſignia tanti,
Tam perfuderunt animum dulcedine rerum;
Quàm pia cœleſtem ceperunt gaudia mentem:
Illius hæc *Cynoſura* olim cultoris honeſti,
Atque pii veri, & veræ pietatis amantis,
Ævi maturam patriæ cœleſtis ad oras
Pertulit, Hæredem regnique in parte locavit
Æterni ut placida compoſtus pace quieſcat:
Hæc eadem ſpectanda tibi *Cynoſura*, ſalutem
Allatura tnæ claſſi, claſſiſque magiſtro
Hærenti clavo, vultumque ſub aſtra tenenti,
Dum tumidi rabiem ponti clementia cœli
Mulceat, & denſi fugiant ex æthere nimbi;
Ut pelago tandem cæloque fruare ſereno.
Ecce repente ſali arridet pellacia puppi,

Subſidunt fluctus, ſtratiſque æqualiter undis
Ipſa ferunt quò vis tutam nunc æquora claſſem,
Spiranteſque auræ faciles, uentique ferentes
Ex alto in portum ſalvam duxere carinam:
Ecce dies volvenda, poli indulgentia, dona
Optatis majora ferens potiora petitis
Purpureum claſſi gaudet prætendere lumen
Lætitiæ inducens lucem, luctuſque tenebras
Diſcutiens, regno penſans data damna *Britanno*,
Lumen adhuc creperum clara in regione ſubortum,
Sed propriis languens radiis mage fulget avitis,
Tempore dum totum creſcendo impleverit orbem,
Qualia ſunt primum redeuntis cornua lunæ,
Quę Phœbi obliquæ ſunt tantùm obnoxia flammæ,
Lucida dum cœlo ſplendeſcant plena ſereno:
Hanc Deus ex tenebris noſtri mœroris abactis
Elicuit tandem ſpecioſæ lampada lucis;
Dulcia ſic mœſto præbens ſolamina regno,
Et manifeſta ſui oſtendens jam ſigna favoris,
Quæ prius inflixit mulcendo vulnera ſanat:
Perque vices luctum fugientem cedere lætis
Plauſibus & planctum voluit, riſumque redire
Pro lachrymis, hilaro mutans lugubria cultu;
Eximat ut gravibus mœrentia pectora curis,
Parque voluptatis ſubiens menſura labori
Præterito, vitę venturos leniat annos.
Jam bona ſpes, lætus tanti cùm Principis ortus
Nuncius exhilaret pacis, pietatis alumnos,
Extemplo foribus fas clauſtra revellere magni
Numinis, huc mora nulla viam rapiamus ovantes,
Paſſa premant lætæ domini ſacraria plantæ;
Et quoties regum regi celebrantur honores,

Hæc quoque inoblita repetantur munera mente;
Inque dies quoties fama memorantur & annos,
Numinis hęc toties bonitati accepta ferantur:
Plauſibus, & lætis choreis, cantuque quotannis
Natalem celebrique diem ſignemus honore,
Matribus abſimiles ſimulato numine *Bacchi*,
Quæ populos mediaſque vrbes ſine more pererrant
Colla comaſque Euris dantes, ululatibus omnem
Æthera quę complent, quę cinctę pellibus haſtas
Pampineas geſtant, lymphata mente furentes;
Sed geſtu & grata teſtantes gaudia voce,
Dum vultum exhilarant divinæ munera dextrę.
Qui magnum *Æneam* fatalibus intulit arvis,
Aurea naſcenti promiſit ſecula proli
Pollio læta tuæ, genuit quem *Mantua* Vates:
Sparſit odoratos circum cunabula flores,
Baccare permiſtas hederas, colocaſia, amomum,
Munera lactanti nullo venientia cultu:
Signatam teneras prima lanugine malas
Melle rubente uva, cum flavis donat ariſtis;
Pacatum quæ dona Deus diffudit in orbem:
Tum croceo luto, ſandice, & ſuave rubenti
Murice Sidonio Juveniles ornat amictus;
Omnia quæ paſſim nullo cogente venirent:
Sed pater hic, & an hæc partu quę fœmina prolem
Hanc dedit, è victis nomen cui vile Salonis,
Numinis & ſacri gens neſcia fœderis, ulla
In re conferri poterunt natalibus iſtis?
Aut tibi tranquillas venienti in luminis oras?
Certa Dei ſoboles, magnorum magna parentum
Gaudia, terrarum & noſtri jam gloria ſecli:
Hanc potius ſpem ferre tui clementia cœli

Pro lachrymis redeunt risus.

Nos sinet, ut toto, duce te, gens aurea mundo
Surgat avi & patriis claro virtutibus; orbis
Queis tandem unanimis sanctè modereris habenas;
Quas bene tûm flectes, sceptri tutela paterni,
Plurima cùm virtus, rerum cùm plurimus usus,
Cùm bona naturęque fovens doctrina, politum
Constituensque virum vitæ formaverit annos;
Heroum exemplis cum te melioribus addens
Aure animoque trahes pietatis dogmata puræ,
Accedensque animum famæ venientis amore,
Subjicies sacris tua facta canenda camænis
Hîc mihi contractis liceat subducere velis
Errantem imperii pelago fervente carinam,
Principio precibus similem subtexere finem.
Ergo diu quæsita, diu foveantur amore
Vincla pio, stantemque domum, regnique vigentis
Consiliis sceptrum natorum pignore multo
Fulciat æternas mundi qui flectit habenas;
Det sobolis seros in secula sera nepotes,
Sub quibus aurati perduret gloria secli:
Qui præsens tutela bonis Terrorque profanis,
Immensum populis dicant pia jura per orbem.

Μόιφ Θεῷ τίμη καὶ δόξα.

CARMINIS HVIVS EXPLANATIO.

Primus in orbe] Exordium paulo longius, quo author carminis Deum, quem hîc ſolum invocandum cenſet, conjugii cauſam efficiẽtem conſtituit, & effectis huic argumento congruis, ac proprietatibus uni majeſtati ipſius conſentaneis adumbrat.

Ergo tibi] Propoſitio invocationis, qua petitur, ut Deus hoc cõnubium, & fœdera ſocietatis inde cum multis gentibus inita ad finem uſq; conſervare, triſtiaq; & adverſa omnia hinc avertere, lęta verò & proſpera dando benevolentiam ſuam hîc exhibere dignetur.

His fora] Preces omnium conventuũ, præſertim verò Eccleſię & Paſtorum ſuis conjungi poſtulat, miſtis imprecationibus in lividos & obtrectatores, ut cùm Deus conjuges hos omnibus fortunę, corporis, & animi bonis cumularit, piis etiam virtutibus ornet, quibus in ſpirituali certamine de Satana, carne, & mundi invidia lętè triumphare poſſint.

Macte thoro] Hortatio ad principem ipſum, ut, cùm in adjungenda ſibi conjuge ſua, exemplo ſoceri tot tantaq; capitis pericula neglexerit, præſtet ſe in omnibus, potiſſimùm verò in purę doctrinę & pię cauſę patrocinio tum ſocero tanto, tum etiam majoribus ſuis non indignum.

Aut vaga] Hoc enthuſiaſmo author carminis tacitum indicat lętitię ſuę affectum, quòd quaſi venturi præſcius cernat animo faſces imperii aliquando huic Principi delatos fore, quoſquidem accipiendos cenſet, nec recuſandos ob negotiorum & diſcri-

criminum magnitudinem, cùm multiplices maris cœliq; minę & pericula multis allata nauclerum magnanimum a navigādo non deterreant, ubi quarundam rerum ſimilium in protaſi & apodoſi inductio eſt.

Imperÿ ſint] Hìc optantur principi virtutes illæ, quæ regum & principum thronos ſtabiliunt, ſed in his longa eſt pietatis deſcriptio a cauſa inſtrumentali, ſana ſcilicet doctrina ſalutis, nō Ethnicorum ſcriptis, ſed ſolo Dei verbo cōprehenſa; ubi fons aquæ vivę ad animas recreandas, ubi vera lux adtenebras mentis diſcutiendas, ubi arma etiam ſpiritualia ad propulſanda Satanæ tela ignita ſacra myſteria ſcrutanti inveniuntur.

Hac duce] Subjicitur oculis pronepotis proavus, qui pietatis doctrinam ejuſque profeſſores, tanquam palladium ſuum, tanquam ſacrā muſam, & Cynoſuram ex animo coluit, ut proavi ſui veſtigiis inſiſtens ſimilem rerum ſucceſſum & vitæ feliciter actæ finem ſperare debeat.

Ecce repente] Hac allegoria fauſtus rerum eventus omnibus prę ter opinionem improviſis incidens a precibus oſtenditur, cùm Deus hoc repentino & nobili principis ortu tot regnorum populos, præſertim verò *Britanniæ* incolas damna ſua ſatis diu lugentes, exhilararit.

Iam bona ſpes] Hortatio eſt ad *Britannos* & affines, ut tanti Dei beneficii in dies & in annos gratam memoriam cum charitate uſurpantes, ejus laudem Deo tantūmodo tribuere lætentur.

Qui magnum] Si *Virgilius* ſola benevolentia adductus aureum ſeculum promiſit *Pollionis* filio nulla pene in re jam nato principi conferendo: quanto magis nos decet, in eam ſpem de illo adulto, & doctrina liberaliter inſtituto conceptam adduci.

Hic mihi] Concluſio precationem etiam complexa, ut matrimonii hujus vincula inviolata a Deo conſerventur, & inde per ſeriem longam ſoboles ſuccreſcens domum regnumq; in multa ſecula ſtabiliat.

FINIS.

C 14853
31519 SL

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION